

Ann. IX.

ROMAE, Kal. Augustis MDCCCCVI.

Num. VIII.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;  
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo  
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem  
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

## Subnotatio fieri potest:

### IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA",

VARSIAE POLONORUM  
Rakowskie Przedmiescie, 15.

### IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

VARSIAE POLONORUM  
Krakowskie Przedmiescie, 6.

LONDON W.  
28, Orchard Street.

### IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET  
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

RATISBONAE in BAVARIA.

### IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES  
MONTREAL  
1699, Rue Notre-Dame.

## RERUM INDEX

- De Sinensium in exteris odio.  
De rationibus linguam latinam docendi melioribus inveniendis. - Ad Magistros linguae latinae.  
*Vox Urbis* palaestra. - Nova et vetera.  
Iacobi Leopardii carmen italica lingua inscriptum *Ad Angelo Mai*  
quod latine redditum Maurus Ricci S. P.  
De Urbis Taurinensium obsidione centenaria commemoratione.  
In somnis...  
Petro Micca. - Epigramma.  
Paulus Rembrandt.  
Colloquia latina. - Ludus nucum.  
Acta Pontificia. - Motu proprio de examinibus pro regulari clero ad Sacros Ordines  
promovendo in Italia et in insulis Italiae dictioni subiectis.  
Diarium Vaticanum. - Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electiones. - Vita functi  
viri clariores. - Varia.  
Annales: Russicae res. - Bellici rumores. - Pontificis arbitratuus inter Columbianam et  
Pernianam civitatem.  
Publici per Orbem coetus legibus ferendis.  
Per Orbem.  
Aenigmata.  
Epistolaram commercium.  
Librorum recensio.

*In tertia operculi pagina:*

ZENO - Tragoedia JOSEPHI SIMONIS Angli. (Passim retractavit hodiernisque scenis  
aptavit I. F.).

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

M DCCCC VI

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS  
Comm. VOX URBIS in an. MDCCCCVI.

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80;  
ubique extra Italianam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5;  
March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mitten-  
dum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM  
COMMENTARII "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM  
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCII CONSTITUTA:

Qui socios novos comparaverit duos pretiumque eorum  
subnotationis mi-

serit, subnotationem gratis omnino sibi habebit.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium  
mensem - bi-  
bliopolis exceptis - dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europae  
loco ubi vivat Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti  
vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit ut supra,  
eodem iti-  
nere gratis omnino fruetur.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italiam:  
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

## SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:  
ARISTIDES LEONORI, eques.  
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

## DE SINENSIO IN EXTEROS ODIO.

POST tumultus et clades, quibus novi saeculi ortus in Sinis cruentatus est, firmato cum Europaeis Americanisque gentibus foedere pacis spoponderunt Sinenses magistratus gravem sese pecuniam mulctae nomine ab iis recepturos, qui secretis sodalitiis sese dedissent. Praeterea et summorum rei publicae gestorum coetus — Tsung-li-yamen vocant — ita coiturnus deinde promittebatur, ut acquam omnem legem et mentem, optimaque omnia consilia promoveret.

Hisce itaque sponzionibus facilis spes aridebat fore ut imperialis ipsa foemina, quam penes publicae rei omne arbitrium est, quod diu in corde foverat odium in peregrinos dimitteret. Si quae enim unquam crimina aut iniuria in hospites audebantur, non sine eius consilio vel nutu tacito sive, sive expresso, parati ausus tradebantur. Nam omnes, quod per universum populum late flagrat odium in peregrinos malis ipsa artibus excitare et alere noscitur, et ad vim et arma impellere; alienum ferme a regali munere officium.

At optimas, quas plurimi amplexi fuerant spes, nulla mora eventus dispersit, sumptaque nimis facile auspicia fecellit omnino. Advenarum enim clades, quae tam temere flagrarent, novissimo tempore, cautius licet et infrequentius, sine intermissione tamen patrata heic vel illic per fines imperii novimus. Nec autem quisquam tanti criminis fore ut aliquando mos cedat dum imperialis illa foemina summam rerum moderetur; ei enim nihil sanctius videtur quam odium in advenas atque in mores eorum. Cui ut non verbis tantum sed re ipsa satisfiat, initis passim secreta lege sodalitiis omni ope ipsa favet, quibus omnibus eiiciendi barbaros unum idemque est consilium.

Neque enim quidquam ad rem valuit pacis foedus anno MCM de extirpandis eiusmodi sodalitiis esse caustum: fallaces enim admodum Sinensio sponziones evasere. Qui dum parere pactis videntur, omnem clam movent lapidem, ut ea contra sodalitia augeantur et multiplicentur. Neque per eos stetit quin praecipue sodalitas illa percelebris, quae *a caelo et terra* habet nomen, suam ad mentem publicas imperii res gubernaret.

At vero tanti odio causa non Europaeorum ex culpis aut criminibus, neque eorum ex audacia repetenda est; sed a sacerdotum odio primum, mox a magistratibus ipsis, quorum maxime interest, ne mores nostrae libertatis servum in populum inducantur.

Etsi enim Germani Kiao-Ciao portum tenerint atque Russi usurpaverint Arthur litus,

eae tamen iniuriae nonnisi occasiones ad arma capessenda exstitere. Odium et livor altius repetenda erant. Quae profecto et contra Evangelii nuntios, et contra commerciorum suscepentes, et contra doctrinae nostrae divulgatores aspere in animis atque antiquitus ferrebant, ne plebs imperii ingens sui conscientia tandem aliquando fieret, neve ineptam nimis gubernandi rationem populi sentirent.

Initae eam ob rem sodalitates sacrae, quarum discipuli non sine expiatorio ritu sacrantur atque vanis dictis carminibus putant contra ferrum et ignem intangibles sese fieri. Mox in advenas ardent animi, sumuntur arma, ad incendia et neces struuntur manipuli et opes. Iisque tandem magistratus ipsi, dum nostrarum gentium ultionem timent maxime, submittunt tamen pecuniam et animos addunt.

Modo vero quid erit quum Iaponensium ingens Victoria novam eamque tantam imperii per fines spem populo addidit de instaurandis flavarum gentium fatis? Nam si repressa hactenus atque vix fuerant odia in nostros ob armorum metum, Sinenses nunc exemplo vicinae gentis tolluntur seque erigunt et inopinatas spes sibi fingunt. Diem nimirum sibi proximum sperare possunt, quo hospites omnes suis ex litoribus eiicere detur, atque aliquam forte de acceptis hactenus aliorum imperii ultionem sumere.

Quod Dii omen avertant!

---

## DE RATIONIBUS LINGUAM LATINAM DOCENDI MELIORIBUS INVENIENDIS

---

*Ad Magistros linguae latinae.*

QUI meliora propugnare instituunt, his duo diligenter sunt providenda: primum ut sententiam suam probent indicaturi; deinde ut a nimia alienarum sententiarum reprehensione abstineant; quippe ipsa natura comparatum est ut ingrata nobis atque suspecta eorum sit contentio, qui extra modum vel laudare, vel vituperare videantur. Quod quum ita sit, primum omnium communia attingam, deinde meam opinionem (quatenus haec a communi ceterorum magistrorum sensu discrepabit) modeste tutabor.

Ad communia quod attinet, constat inter omnes, quanto opere omnes fere linguae latinae doctores inter se consentiant atque concordent. Etenim eadem omibus est summa grammaticae disciplinae, iidem flexus declinationesque, eadem leges syntaxeos, eadem vocum significaciones, iidem scriptores. Exceptis pauculis homi-

nibus, qui novitate rerum adducti, universo gregi doctorum virorum bellum indicere student, neminem (credo) invenias, qui academiacam doctrinam in latinis pro vera stabilique habere dubitet. Porro, in iis libris, qui rudimentorum tradendorum causa conscripti sunt, communia omnium pleraque pracepta cognoscet, maxime quae de utilitate latine scribendi, de lectione primo aspectu quae dicitur, de crebra rerum repetitione, de etymologia ad copiam verborum adhibenda commendantur.

Atque ego quidem illos vehementer laudanos existimo, qui in magna ista rerum ac studiorum hodiernorum varietate constituti, dum hinc et illinc alii alia probant, latinis studiis non modo favent, verum etiam prodesse volunt; quorum ego collaudo industriam, veneror doctrinam, artes (quantum licet) imitor. Sed tamen disciplinam eorum paedagogicam in latinis aliquanto meliorem fieri posse puto. Etenim in erudiendis pueris atque ad commodam linguae latinae notitiam perducendis parum proficiunt, doctique quum sint, doctos facere nesciunt.

Exemplum huius rei liber ille est, quem ad principia latina primo anno tradenda conscripserunt et plerisque Americanis probarunt viri cl. COLLAR et DANIEL. Hi viri dum ad Caesaris *Commentarios* (qui secundo anno vulgo leguntur) pueros rapiant, et grammatica pracepta et copiam verborum miseris modis decurtant. Scilicet, ad secundum annum paene omnia reservant, eo consilio ut una cum Caesare grammatices institutio repetatur atque amplietur.

Huic vero proposito duae res obstant: primum, quod sine aliqua commoda notitia cum legum syntacticarum tum vocum consuetudinumque sermonis latini Caesariana scripta cum fructu non leguntur; deinde, quod pueri, qui imparati ad scriptorem accesserunt, sermonem latinum plane negligunt et nihil aliud curant, nisi ut aliquam tolerabilem datarum partium interpretationem, adhibitis lexicis et annotationibus, atque ope aliena invocata, vel efficere vel divinare queant.

At, — inquit, — dum legunt scripta, leges linguae addiscunt. Minime, — inquam, — gentium! Etenim, quamvis diligens magister sit in scriptore ad leges linguae accurate revocando, tamen et nimis multa occurunt explicanda et — id quod maximi est momenti — confusa ratione et ordine docendi utatur necesse est, quum sequi auctorem suum explicando cogatur, praeire non possit; et, contra, omnis grammatices scientia ususque qui ad Caesarem intellegendum requiritur aut praemitti debere aut saltem ordine faciliter commodoque explanari. Qua de causa factum

est, ut non pauci magistri a secundo Commentario initium legendi capiant.

Quamquam non licet dubitare quin haec incommoda magistros Americanos minime lateant. Qui saepenumero inter se consulunt, qui busnam rationibus concilientur studiis animi discentium atque ad claram principiorum notitiam seite erudiantur. Ac fieri quidem potest, ut his qui libros rudimentarios scriperunt suae rationes docendi satis bene succedant docentibus. Longe autem aliter iis evenit, qui aliena via ire iubentur. Hinc miserrima exstitit illorum opinio, qui uberem messem disciplinae latinae sperare non valent, sed omnem usum utilitatemque eius intra nimis angustos fines concludunt, nihil aliud sese efficere dictantes, quam ut ad certum quoddam temporis spatium quasi levis ac vilis rei tractatione ingenia puerilia exerceantur atque castigentur. Non discere iubent suos, verum laborare.

His magistris illa ego septem axiomata paedagogica in latina disciplina administranda de meo opponere placet:

*primo*: copiosa latinae linguae notitia appendenda est;

*secundo*: latinus sermo integer (quantum potest) tradendus est, non fragmenta quaedam quasi reliquiarum antiquitatis hue usque servatae, at nihil coloris hodierni in se habentis;

*tertio*: integer ut sit sermo plenusque, usu et exercitatione iam inde ab initio discendi opus est;

*quarto*: haec exercitatio ususque requirit, ut pliores locutiones tradantur potius quam singulae voculae;

*quinto*: ad certum aliquod argumentum haec locutiones atque adeo tota disciplina administratio referri debet; meo autem iudicio, nihil aptius commodiusve reperiam, quam ipsam linguam latinam;

*sesto*: ratio naturae sermonis latini, praesertim in grammaticis praceptis explicandis, (quibus ante alias lingua latina abundat) diligenter servanda est;

*septimo*: ratio etiam habenda est circumstatiarum eorum qui discunt; scilicet quod extra scholam non habent quicum latine confabulentur, quodque a magistro paene omnia discere coguntur.

Hic quaerat quispiam: Tu, qui ista tam severe pronuntias, quem auctorem nominas, quem librum commendas? — Prorsus nullum, — respondeo. Tamen muniri et posse et oportere meliorem ad propositam viam indubitanter assevero. Ipse in ea re quid effecisse mihi videar aliquando posthac, si opportunitas vobis cum dabitur communicandi, declarare non rebusabo. Valete.

Scri. in Urbe S. Boise, Idaho, Idibus Iuniiis MCMVI.

TAYLER CHAVE B. A.

Quaestio a cl. socio nostro hodie agitata ea profecto est, quae maximi momenti a latinae linguae studiosis habeatur. Itaque lectores omnes ad suam aperiendam sententiam invitamus; nos autem, ut lapidem nostrum aliquem conferamus, quid antiqui senserint de re magistri ex

proximo numero exponemus, verbis praesertim usi Ioannis Georgii Walchii, Germanici rhetoris, cuius opus *Historia critica linguae latinae*, Coloniae ed. an. MDCCXXXIV, ubi argumentum abunde est pertractatum, his diebus forte nobis occurrit.

V. U.

## VOX URBIS PALAESTRA<sup>(1)</sup>

### NOVA ET VETERA.

NOSTRAE aetatis homines non pauci spatum praeteriti temporis respicientes, et superiores aetates cum hac nostra comparantes, alii quidem usque adeo novitatis admiratione rapiuntur, ut recentia sola affectent, vetera despiciant; alii, contra, hodierna et recentissima quaeque ita verbis extenuare conantur, ut quidquid haud altam sapiat vetustatem responde vel negligendum illico putent. At vero prorsus recte neutrum genus: imo potius toto caelo, ut ego quidem reor, dicendum est errasse utrumque.

Et sane res non ideo sunt laude dignae vel vituperio quod novae aut antiquae sint, sed quod bonae atque utiles. Quamquam, ceteris paribus, res, quas sanxerit vetustas; novitibus, quae plerumque suspectae esse possunt, praestare videntur. Quare sic cum Tullio statuere et concludere licet, « novitates, si spem afferunt, non sunt illae quidem repudiandae, vetustas tamen loco suo conservanda ».

Equis enim, non dicam doctrina vel leviter intinctus, sed vel omnino sanae mentis, ingentem illum omnium disciplinarum ascensum contemnat, quem proxima tulerunt tempora? Quis, inquam, iter initurus malit illud pedibus confidere pulverulenta, ut saepe fit, via, vel curru antiquae formae trahi, mirabili illo recentiorum invento posthabito, quo immensa regionum intervalla, fulgoris quasi instar, pervolare liceat, quod nos currum aqua vaporata actum appellamus? Idem dicas de nostris navibus, quibus immanes oceani tractus brevissimo tempore superamus; idem de instrumentis bellicis, de transmissione epistolarum, de nova arte libraria, deque praesertim electrica illa viam in omnem prope usum commoditatemque humani generis inducta, qua, inter cetera, licet ad dissitos dare litteras, nulla vel perlevi interposita temporis mora; imo commiscere colloquia cum absentibus.

His et sexcentis aliis nostrae aetatis vivendi agendique commodis, ecquid non utar, *quamvis*, ut cum poeta loquar, *obstet mihi tarda vetustas?*

Sed tamen et altera pars audiatur. — Sunt illa quidem alta et magnifica, sed tamen nequaquam omnia. Imo vero recentiorum inventa

(1) Rubricam, quam superiore numero enunciavimus, hoc scripto viri ex Anglico genere in alma Urbe latinis litteris cum honore vacantis, placet inaugure, incitamentum quidem plurimis per orbem dispersis; omen foederis illius, quod nomine et sermone Latino *Vox Urbis* tot iam annos prosequitur!

cominus inspecta in corporis parandis commodis omnia, vel paene omnia, versantur. Animi vero oblectamenta, utilitatesque ingenii si quaeramus, (quae optimarum artium ac disciplinarum cultura continentur) ad veteres nobis confugiendum est. Et primo quidem artibus phidiaca et architectonica quantum nostris praestiterunt antiqui Graeci! Ad pictoram deinde artem quod attinet, ut Apellen, Zeuxen, Parrhasiumque omittam, nonne de Aristide retulit Plinius, quod « omnium primus animum pinxerit, sensusque omnes expresserit? » Quo quidem omnis huius artis laus continetur.

Venio autem ad oratores et poetas; et en profecto campus in quo exultare possit oratio. Satis tamen erit ipsa quaedam nomina indicasse. Et quidem primo, si de praceptis eloquentiae et poeticae facultatis legibus quaeramus, occurront pae ceteris Gorgias ille Leontinus, Isocrates, Dionysius Halicarnasens, Longinus, Aristotiles apud Graecos; apud Romanos autem Marcus Tullius Cicero, Quintilianus. Ab his ad nos dimanavere omnis venustratis gratiaeque pracepta: quae ipsi, eorumve aequales ac posteri in usum deduxere nullo tempore superaturis exemplis. Quo ultimo in genere cuinam, quaeso, non innotuerunt Pericles, Aeschines, Demosthenes, Tullius inter oratores; Homerus, Sophocles, Pindarus, Vergilius, Horatius Flaccus inter poetas? Qui omnes tantum abest ut a recentioribus superentur, ut ne ipsis quidem accessisse hi videantur.

Et ad philosophos quod pertinet, ut unum adducam Stageritam, quis inquam illo subtilius accuratiusque disputaverit unquam, qui quasi Sophiae personam agens « philosophus » apud omnes audit?

Quid, quod in re quoque physica et mathematica, in qua nostri adeo triumphant et veteres despiciunt, veteres iidem plurimum potuerint; atque egregiis suis inventis, et rebus feliciter ausis, nostris ita praeluserint, ut viam ipsis maiora conantibus stravisce dicendi sint. Satis sit nominasse Pythagoren, Eucliden, et « maris et terrae numeroque carentis arenae mensorem » Architam illum Tarentinum. Hi, horumque similes, supremi ingenii viri, si in antiquitate minime exstitissent, haud scio an nostra aetate Galilaei, Newtonii, Stephensonii, Kepleri, Eddisonii futuri fuissent.

Quibus omnibus aequa lance, ut oportet, libratis, de iis, qui omni contentione nova extollunt, vetera despiciunt pronum est iudicium ferre.

Quos sub exitu orationis iterum hortatos velim, ut cum Tullio novitates, si spem afferunt non repudiantes, vetustatem suo loco conservent.

GREGORIUS CLEARY O. M.

Auditor altioris litteraturae in Instituto Leoniano, Romae

Ego semper hac opinione tractus fui, ut eum qui nihil commiserit, sibi nullam poenam timere existimarem.

CICER. in Vatin.

Dandum est aliquod intervallum animo, ita tamen ut non resolvatur, sed ut remittatur.

SENEC., Epist. XV.

## IACOBI LEOPARDII CARMEN ITALICA LINGUA INSCRIPTUM AD ANGELO MAI

QUOD LATINE REDDIDIT MAURUS RICCI S. P. (1)

*Magnanime Italidum, cur, quaeo, ciere parentes  
 Tu nostros nunquam desinis e tumulis?  
 Curve locuturos populo deducis inerti,  
 Quem super, ut nebulae, taedia tanta gravant?  
 Ad nostras quid plena venis tam saepius aures  
 Vox veterum, longo tempore muta, patrum?  
 Ecce in lucem tot multa antiqua resurgent?  
 Temporis in puncto pagina facta fera.  
 Quae fuerant veteres sancta ac generosa locuti,  
 Claustra hoc in tempus squalida condiderunt.  
 Quos tibi fata animos dant, praestans Itale? forsitan  
 Fortibus obsistunt irrita fata viris?*

*Haud equidem fit caelesti sine numine, quod nos  
 Percellit veteranum vox nova saepe patrum,  
 Tam maiore sono, quam lenta oblivio crescit  
 Nostra magis, dulcem spemque fovere negat.  
 Hactenus ergo pia Italiae sunt numina; cura  
 Nostrum caelicolas hactenus ulla manet.  
 Nam modo, vel nunquam rursus, cum splendeat hora  
 Virtutem dextra qua renovare decet  
 Italicae gentis tectam rubigine, circum  
 Tum tali ac tanta voce sepulcra sonant;  
 Heroasque fere tellus emitit in auras,  
 Mentibus obliti qui iacuere diu.  
 Ut tandem videas aevi post tempora longi,  
 Patria, segnities an tibi prosit adhuc.*

*Ullane restat adhuc nostrum fiducia vobis,  
 Illustres animae? funditus haud ruimus?  
 Forsitan haud vobis vetitum reserare futura:  
 Ipse obii, et luctus nulla reperta salus.  
 Nam tenebrosa mihi ventura, ut somnia, nugas  
 Spem reputem, circum quidquid et aspicio.  
 Plebs dishonesta domos subiit probosaque, fortis:  
 Magnanimos verbis magnanimosque manu  
 En sanguis vester ridet: non laudis avitae  
 Aut pudor aeternae, aut nobilis invidia.  
 Otia circumdant vestra heu monumenta, futuris  
 Gentibus exemplum iam sumus agmen iners.*

*Ingenio praestans, quando non cura parentum  
 Nobilium est aliis, sit, precor, ulla tibi.  
 Ulla tibi, tantum cui fata fuere secunda,  
 Ut nobis coram iam revocata putas  
 Tempora, quum diris veteranum doctrina tenebris  
 Celata, e tumulis extulit alta caput.  
 Extulit, atque simul veteranum divina propago,  
 Quies natura suo fatur amicta peplo;  
 Cecropiae recreant qui clara atque otia Romae,  
 Haec heu! perpetuus tempora somnus habet.*

(1) Carminibus Iacobi Leopardi in latinam linguam conversis hanc notam praemisit clarus auctor: "Haec carmina ut, me oblectando, ingenii mei periculum facarem, quippe quae difficillima, multis abhinc annis, ex italicis in latinum sermonem transtulit. Ceterum sententias huius scriptoris, quae a christiana sapientia abhorrent, nec ipse probo, neque legentibus heis obfuturas puto. Quicumque enim latinas literas ita callent, ut plane haec intelligat, scire et posse putandus est ea reiicare, quae vel falsa vel impia bene tornatis versibus auctor interpolavit."

*Hactenus Italiae tunc immatura ruina,  
 Ota tunc segnes nos inhonesta sequi  
 Hactenus exosi fuimus, rutilusque farillas  
 Aura volans multas huic rapiebat humo.*

*Iam tuus in tumulo cinis ille, o sancte, tepebat,  
 Quem saepe aggressum non fera sors domuit;  
 Cui, sive irato seu moesto pectore, amicus  
 Hac tellure magis Tartarus ipse fuit.  
 Tartarus! hac nostra quae non praestantior ora?  
 Dulcis et interea chorda fremebat adhuc,  
 Pollice tacta tuo, miserandi cultor amoris.  
 Italici heu! cantus fons et origo dolor.  
 Attamen illa gravant animumque angentia torquent,  
 Quam quae nos vincunt taedia, damna minus.  
 O fortunatum, fuerunt cui vita dolores:  
 At praecinxerunt taedia nos pueros.  
 Assidet et nobis sive incunabula iuxta  
 Immotum, iuxta sive sepulcra, nihil.*

*At tu vivebas ad sidera versus, ad undas  
 Aequoris, audaci pectore, magne Ligus,  
 Cum praeter Calpen ac praeter littora, sero  
 Stridere ubi fluctus, sole cadente, putant,  
 Immenso in pelago occidui iam lumina solis  
 Detegis, atque ortam quae cadit inde diem.  
 Naturaeque moras spernenti ac dura viäi,  
 Tum loca vasta tibi dant patefacta decus.  
 Heu cheu! terrarum sed non percognitus orbis  
 Amplior est homini, quin magis exiguum.  
 Aethra sonans, almumque solum pelagusque videntur  
 Non docto, at puero vasta patere magis.*

*Quo tot laeta prius fugerunt somnia? cum nos  
 Finximus ignotis degere littoribus  
 Ignotos populos; vel sedibus astra diurnis,  
 Et procul auroram surgere mane toro  
 Credidimus? somno occulto aut decumbere regem  
 Astrorum? cuncta haec illico vanuerunt.  
 Pagina in angusta concluditur orbis, idemque  
 Est omne: inventis addimus ad nihilum.  
 Nobis vera vetant quae dulcia finximus ipsi;  
 Et mens ex illis non redditura fugit.  
 Mirandam nobis vim primam tempora tollunt,  
 Solamen nostris ac perit omne malis.*

*Ortus es interea dilecta ad somnia, Phoebus  
 Et novus aspectu iam tibi splenduerat,  
 Pugnarum lusor, vates, et lusor amorum,  
 Qui, mage cum nostri laeti abiere dies,  
 Usque dolis hominum vitam implevere serenis;  
 Atque italae genti spes nova multa fuit.  
 Vos ego cum turres, aedes, dominaeque equitesque,  
 Hortos, atque altas mente revolvo domos,  
 Haereo spectaclis centum defixus amoenis:  
 Tum vana auditu pulcraque quisque creans*

*Contentus degit, quae finxerat ipse, miraclis:  
 Haec postquam expulimus, quid super extat adhuc,  
 Dum vigor exutus rebus? fallacia cuncta,  
 Ac tantum veram cernere tristitiam.*

*Tunc, Torquate, tui nobis, Torquate, parabat  
 Vim Deus ingenii, sed tibi moestitiam.  
 Torquate infelix! tibi non mulcere dolores  
 Carmina, nec possunt solvere corda gelu;  
 Civica quo rabies animos et foeda calentes  
 Ipsa tyrannorum cinxerat invidia.  
 Destituebat amor te tunc, fallacia vitae  
 Ultima te nostrae destituebat amor.  
 Quod nil est, umbras veras firmasque putasti,  
 Deserta atque orbis sunt tibi visa loca.  
 Lumina nec tardum tua conspexere triumphum:  
 Haud damnum, at merces hora suprema fuit.  
 Quicumque expertus nostra infortunia novit,  
 Interitum potius quam sibi serta petit.*

*Huc redeas, muto moestoque exsurge sepulcro,  
 Huc redeas, luctus cernere si cupias,  
 Exemplum sortis miserae: ruit usque ruina  
 Quae tibi visa olim pessima vita fuit.  
 Quis te ploraret, nostrum o dulcissime, nullum  
 Si sua nunc praeter, nil aliena premunt?  
 Quis quae te torquent et nunc haud stulta vocaret,  
 Maxima dum cuncti raraque stulta vocant?  
 Et neque iam livor, sed longe durior illo  
 Segnities nostros negligit egregios?  
 Vel dum quisque magis praebet rationibus aures,  
 Quis cinget fronti laurea serta tuae?*

*O miser, ingenio praestans, non hactenus ullus  
 Te post, Italico nomine dignus adest;  
 Unum si demas, aetate indignior unus  
 Qui fuit ignava, filius Allobrogum.  
 Huic fortis animos boreae dedit ora feroci,  
 Haec mea non tellus arida, lassa, dedit.  
 Privus et absque armis hic scenica bella tyrannis  
 Intulit, ob facinus commemorandus adhuc.  
 Has saltem miseras pugnas, hominumque furori  
 Haec vana infirmo castra patere sinas.  
 Hic prior, et solus stetit incomitatus arena:  
 At curae nostris, otia, foeda quies.*

*Puros ille dies agit indignansque fremensque,  
 Cernere et interitus deteriora vetat.  
 Non tua, Victori, haec aetas, dilecte, nec ora:  
 Diversa egregios saecla locique decent.  
 Sorte sua nostrum contentus quisque quieta  
 Vivimus, ac mediis ducimur ingeniis.  
 Descendit sapiens, turba et concendent ad unam  
 Metam, quae cunctos aequat in orbe viros.  
 Tu sequere, inventor; rumpe, o clarissime, somnos  
 Functorum, vivi quando sopore iacent.  
 Heroum extinctis veterum da robora linguis:  
 Ut tandem nostra haec saecula facta luto  
 Vivere vel cupiant, et sese ad splendida tollant,  
 Aut aliquis tangat desidiosa pudor.*

# DE URBIS TAURINENSIA OBSIDIONE

## CENTENARIA COMMEMORATIO.

**I**NEUNTE saeculo decimo octavo magnum in Italia bellum conflatum est, quum mortuo Carolo II, nullis liberis superstitibus, multi undique ad spem regni hispanici principes niterentur.

A Gallis primum stetit Victorius Amadeus II, Sabaudiae dux, mox ab eis recessit, regis Ludovici XIV arrogantiam pertaesus, qui omnia eo sibi licere arbitrabatur, ut, levissima adductus suspicione, Subalpinos in gallico exercitu militantes, per summum decus armis exuere atque in carcerem detinendere, apud sanctum Benedictum, in agro Mantuano, non dubitaverit. Quum igitur Allobrogum Dux ad foederatorum partes transisset, qui collatis viribus adversus Gallos atque Hispanos pugnabant, Ludovicus XIV Sabaudiam, Nicaeensem agrum, omnesque ferme subalpinas arcis praesidiis suis occupavit; urbem denique ipsam Augustam Taurinorum regni caput obsidione cinxit.

Gravissimis illis reipublicae Subalpinorum temporibus, magna civium virtus atque animorum concordia adparuit, qui, nullo rupti la-

bus, nisi adsidua civium virtus adstitisset, atque egregium Petri Miccae facinus, immortalitate procul dubio dignissimum.

Quarto calendas Septembbris anno septingentesimo sexto supra millesimum, noctu, dum

AUG. TAURINORUM IN REG. ARMAMENTARIO  
PETRUS MICCA  
DOMO ANDORNO APUD BUGELLAM

BELLO GALLICO MILES CUNICULARIUS  
CONFERTO JAM HOSTE — IN ARCEM  
IRRUEENTE CERTUS PRO COMMUNI SA-  
LUTE — RELICTA CONJUGE ET PAR-  
VIS LIBERIS IN CASUM IRREVOCABILI-  
LEM — SE DARE SUBTERRANEO  
FORNICI IGNE ADMOTO — SEQUE ET  
HOSTEM UNA RUINA OPPRESSET —  
IV KAL. SEPT. AN. MDCCVI. CUIUS  
VIRTUTE URBS — SERVATA AD EUM  
DIEM INCOLUMIS MANSIT QUO SUB  
IPSIS — MOENIBUS A REGE VICT.  
AMEDEO II. ET EUGENIO SABAUD.  
FELICITER DEBELLATUM EST

REX CAROLUS ALBERTUS  
MILITI SINGULARIS EXEMPLI SAE-  
CULO POST — SIGNUM EX AERE  
DECREVIT SIMUL FRAMEAM HONOR.  
CAUSA — A COHORE BALLISTA-  
RIOR. EIUS POSTERIS DATAM —  
INTERMORTUA NUNC VIRI STIRPE IN  
ARMAMENTARIO — IUSSIT ADSER-  
VARI AN. MDCCCXXXIV.




Victorius Amadeus II, Sabaudiae dux,  
suis ipsis opibus miseris civibus subveniens. (Ex tabula E. GAMBA).

Allobroges milites somno laboribusque confecti, hic illie placide quiescunt, Galli ex improviso illum munitionum partem taciti adgrediuntur, ad quam hesterna die atrociter dimicatum fuerat, ut securum sibi iter in arcem ipsam praestarent.

Petrus Micca, miles cunicularius, eui, ob experrectam indolem, magnamque in re sua virtutem, iocose milites vulgari eloquio *passapertutto* cognomen passim addiderant, periculum praesagiens, certam mortem obire paratus, commilitonem adhortatus, ut fuga se in tutum recipiat, rogat, ut uxorem filiosque regi commendet, et sine ulla vitae cura, ignem firma manu animoque, ad cuniculum admovet.


Tunc, magno cuniculorum fragore, militum excubiae experrectae ad arma alacres advolant, atque vi hostes ex aggeribus quasi ex compo- sito undique confluentes facile repellunt, eisque aditum in arcem impediunt. Postero die Petrum Micca mortuum invenerunt nostri vultu adhuc hostibus minitantem, quadraginta circa passus ab cuniculo digressum.

Haec eius virtus sane admirabilis atque omni per saecula laude dignissima, non modo apud Italos, sed apud omnes fere gentes, praedicatione, litteris monumentisque decoratur. Ei nostra memoria posnerunt cives statuam ex aere confectam, haud procul a situ in quo ipse moriens salutem patriae sanguine suo peperit. Patrum vero aetate, ex verbis potissimum commoti Caroli Botta historici apud Italos clari- simi, Carolus Albertus rex, ne egregii militis facinoris oblivisci videretur, superstitem quemdam Micca rure ex aedibus paternis advo- cavit, eumque Augustae Taurinorum in arma- mentario adservari iussit. Quod quidem Carolus Boucheronus, eleganti more suo ita descripsit:



Eugenius e Sabaudica gente  
Austriacorum sociorum dux  
in propugnatione Taurinensi.

bore, nulla adlecti potentium adulacione, suis regibus unice devoti, in primis ita rem susti- nuerunt, ut omnia quaeque vel ultima potius pati parati viderentur, quam a rege rebellas- sent. Attamen actum erat de Sabaudiae duci-



Petrus Micca.  
(Ex tabula A. GASTALDI).

ctissimi illius sacerdotis Sebastiani Valfrè, qui Beati Philippi Nerii vestigis insistens, cuncta sibi agenda putabat, ut civibus interesset tot rebus pene confectis. Sed cur de B. Maria ab Angelis taceam? Haec sanctissima virgo Tau- rinensis Karmelites exalceata, sanctissimis moribns, divino spiritu afflata, omnibus secure

qui eam compellarent, praedicabat: *Puella Maria nos in libertatem vindicabit!*

Quod feliciter evenit. Quinto idus Septembris debellatum est, et Subalpini opimam et praeclaram praedam ex Gallis caesis fusisque reportarunt. Tam insignem victoriam adhuc testatur templum in summo vertice Sopergae, Virgini Matri sacrum, quod obsessa urbe Victo-

Mirum potius est non nullos vel in praesenti videre, qui, nescio quo pacto, iniquae magis agitatione mentis quam incorrupta rerum fide et sincera veri investigatione ducti, gloriam tanti viri minnere conantur.

Perperam isti quidem et nimia levitate, ne dicam stultitia, faciunt. Est enim ridiculum ea, quae habere non possumus, requirere, et, quum

Tum ego: «O virtutem admirabilem atque omni per omnia saecula laude, praedicatione, litteris monumentisque decorandam! Omnes de te gentes loquuntur loquenturque in posterum, neque unquam obmutescet vetustas. Male sit si qui vario sermone tuae virtutis partem vel minimam minuere nitantur.»

At ille leniter arridens: «St! quaeso, — in-



Taurinensis pugna inter Subalpinos et Gallos, die VII mens. Septembris MDCCVI.  
(Ex tabula Augustae Taurinorum asservata).

rius Amadeus overerat, et Carolus Emmanuel filius, regnum auspicatus, dedicavit. Nec harum rerum memoria in desuetudinem abiit; vivit enim victuraque est, et hoc anno, qui bis centesimus est quum Galli victi sunt fugati, tota civitas profusis undique gaudiis exsultat, viros suos celebres novis laudibus decorat, animasque egregias supremis muneribus cumulat.

SUBALPINUS.

### IN SOMNIS....

C<sub>L</sub>ARORUM virorum memoria et recordatio nos non solum ad virtutem, sed etiam ad eorum facta moresque maiorem in adspectum lucemque proferenda accedit. Quid igitur mirum, si in commemoratione Petri Micca ducentesimo anno post admirabile eins facinus nobis ante oculos obversari videtur illius fortissimi viri imago nosque exsuscitat et maiores ad rem gerendam facit?

habeant commilitonum auctoritatem et religionem et fidem et ipsas per se satis loquentes cuniculi ruinas, ea, quae depravari aut corrumphi nullo modo possunt, refellere aut repudiare. Quid multa?

Superiore nocte din multumque me cogitantem et memoria omnia repetentem solito artior somnus complexus est. Hic mihi Petrus Micca se ostendit ea ipsa forma, qua a Iosepho Casano sculptus est ex aere; atque ita sculptus, ut iudicis argutum non formidet acumen. Quem quum intuerer, equidem stupui. Sed ille: «Ades, — inquit —, animo».

Cui ego, ut me recepi: «Quae tua, — inquam —, tam excellens fuit natura, ut pro patriae salute ultro morti certae temporis punto te offerre non dubitaveris, uxoris et liberorum oblitus!»

At ille: «Immo vero, — inquit —, et liberorum et uxoris memor fui; quorum imagines fixae mihi semper in animo, manus supplices supremo illo horae momento ad me tendere visae sunt; tamen gravissimo urbis excidii imminentे periculo, vicit amor patriae; pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?»

quit —, et quae dicam, trade memoriae: Omnibus, qui patriam conservaverunt, adiuverunt, auxerunt, certus est in caelo definitus locus, ubi beati aevo sempiterno fruantur. Igitur alte spectare si voles, neque te sermonibus vulgi dedideris nec in praemiis humanis spem posueris rerum tuarum; suis te oportet illecebris ipsa virtus trahat ad verum decus; quid de te alii loquantur, ipsi videant, sed loquentur tamen. Vos interim

*Egregias animas, quae sanguine vobis  
Hanc patriam peperere suo, decorare supremis  
Muneribus.*

Haec ut dixit, statim ille discessit; ego somno solitus sum. EUSEBIUS GARIZIO.

### PETRO MICCA

#### EPIGRAMMA.

*Quas moverat Micca, impavidum pressere ruinae,  
In Regem, in Patriam, contra hostes, actus amore.  
Hunc Taurinenses memorent Heroa, colunto,  
Sic ut et exemplum tantum gens postera sumat.*

I. B. ANFOSSI.

## PAULUS REMBRANDT.

**Q**UUM Napoleon imperator Europae regna atque respublicas mira armorum virtute Gallico imperio raptim addicebat, tum auri argenteique pondus, tum thesauros omnes sive artium ingenuarum sive gemmarum, quos maxime posset, certatim diripiens, Lutetiam deducebat, quae opima veluti spolia triumphi Gallico Marti sacraret.

Tunc temporis igitur et templorum vasa miro artificio scalpro cusa imperatorias aulas exornarunt, et pretiosissimi marmorei gradus sacris ab aedibus divulsi eius throno suppositi, et tabulae quaeque et signa in aedibus caesareis collocata, non secus quam quum Romani proconsules Achaeis ex urbibus deorum divellebant imagines, suas ut per aedes disponerent.

Ea aetate itaque Lutetiensibus civibus Lourensi in museo mirari collectas licuit tabulas quae pulcherrimae hactenus haberentur inter eas quas unquam hominum manus effinxerit; a Christo Domino dicimus quem Tabor in monte transfiguratum Raphael Sanctius pinxit, ad bovem illum cum foemina quos Potterius Paulus saeculo decimo septimo incunite miris ita coloribus retulit, ut uterque viderentur auram et vitam spirare, ad discipulorum denique lectio nem illam chirurgicam celeberrimam, quam eadem aetate, Paulus Rembrandt effinxerit.

Itaque centenariam commemorationem ab ortu tanti viri, qui fuit Idib. Iuliis MDCVI, iure his diebus Batavi celebrant, quum hic ex paucis dignus visus fuerit Raphaelis illius aemulis, qui angelus potius quam homo omniumque pictorum facile princeps communi gentium consensu salutatur.

Quinimo ut Raphael ille Petri Perusini magistri sui vestigia longissime superavit atque pictoriariam artem, etiamtum imperitam et imperfectam ad summum perfectionis fastigium sua tantum virtute et veluti extemplo, brevissima licet vita functus, adduxit, et omnium Italiae pictorum magister et exemplum effectus est, ita Paulus hic, quamquam rudi genere et molendinarii ignoti filius, insolito Musarum flamme eo pervenit, ut novum intentatumque genus pingendi invenerit paterque eorum factus sit, qui « naturam ipsam » referre suis operibus deinde conati sunt.

Leida in urbe natus est vir et pictura et arte caelandi aeneas tabulas perillustris. Sed illam artem a Iacobo Zevamburio et Petro Lastamano et Pino magistris didicit; alteram vero ipse virtute sua invenit. Et profecto eius in animo ita sponte et facile flamen valebat, ut vix sex et viginti annos natus, tabulam illam quam memoravimus, anathomiae lectionis, pinxit, quae inter pictorum omnium celeberrima opera recensetur, et modo Hagano in museo religiosissime asservatur.

Nam naturae referendae vi ita brevi invenis valuit, ut ad ingentia maxime opera natum sese brevi senserit. Ad laborem vero et ipsius luci spes eum incitavit vehemente, et non sine gravi - ut memoriae proditum est - avaritiae nota. Acidis autem lymphis caelandi aeris artem quum reperisset, imagines cusit pulcherrimas ita, ut, multi licet eum imitati fuerint, aequaverit tamen nemo.

Nihilocecius simplex semper, immo rude vendi genus et saepe sordidum constanter retinuit. Uxorem e rustica gente sibi adscivit, et, quamvis in dies maiora et pulchriora focundo maxime ingenio effingeret, nunquam tamen in superbiam elatus est.

Picturae modos omnes et coloribus et arte cusroria, mire expertus est; et sanctorum imagines, et historica gesta, et familiares eventus, et camporum, montium, peccundumque imagines; summopere vero excelluit in reddenda hominum facie; quamobrem a ditioribus viris certatim requirebatur.

Eius vero propria imago quam ipse sibi pinxit nigro obiecta pileo, lucentique lorica induita praeclarissima habetur ob certamen illud, ut ita dicam, lucis umbrarumque quo spirantem illam omnino atque vivam faciunt. Quae profecto eius nota praecipua in pingendo fuit, quemadmodum in caelorum coloribus nubilorumque motibus effingendis apparebat, et lucis noctisque varia forma et vita ad unguem exemplata. Quod maxime emitet eius in tabula principi, quam diximus, ubi inter vivos discipulorum vultus, cadaverisque gelidam figuram discrimen ita vehemens deprehenditur, ut omnia plane vera esse credantur, et veluti cadaveris olere se putredinem spectator credit.

Operibus hisce innumeris multas postquam divitias longos per annos coegit, gravi Rembrandtis senectute a MDCLXXV gloriosus obiit filiumque Titum parentis tantum divitiarum, haud vero virtutis haeredem, reliquit. Eius modo tabulae ubicumque reperiuntur, museum omnium pretiosissimae veluti gemmae nitescunt, nomenque auctoris vulgatum ubique per orbem, quasi unius e principibus pictoriae artis, Batavicas inter glorias eminus semper illucescit.

## COLLOQUIA LATINA

Ludus nucum<sup>(1)</sup>.

**F**LAVIUS. — Adeste, sodales, ego istam ollulam a coquo, veterem et rimosam, exoravi, ut luderemus nucibus.

**D**IONYSIUS. — Quid ad hoc ollis egemus?

**S**ILVANUS. — Miror istum lusorem ollarium.

**C**RISPULUS. — More antiquo recepto ludamus: impinge hanc ollam parieti.

**F**. — Tibi pugnum facilius ac libentius in os impegerim. Praeceptor me novum quemdam lusum docuit; eum iam vos docebo; discetis nullo negotio.

**C**. — Ergo doce.

**F**. — Unusquisque de collusoribus imponit in olla duas, tres quatuorve nuces, quot denique voluerit; post, humi collocatur; communis consensu meta statuitur, a qua unusquisque os ollae ter aut quater nuce petit vicissim, et eo ordine ac loco, quem quisque sortitus fuerit. Iuglans ab olla ad metam provoluta, proximus metae sit primus, huic vicinior secundus, et ita deinceps.

(1) Ex opere IACOBI PONTANI cui titulus *Progymnasmatum latinitatis* (Monachii, MDCX). — Passim retractavit I. F.

**S**. — Quid amplius?

**F**. — Qui vel solus, vel saepius suas nuces iniecerit, anferet omnes quae in olla reperiuntur.

**C**. — Agite, ita ludamus.

**D**. — Duas impono.

**F**. — Nos similiter.

**S**. — Iuglans altera de tuis est vitiosa, quia mucida.

**C**. — Ecce aliam. Huius ego nucleum statim comedam; tibi relinquam putamina.

**S**. — Devora haec quoque.

**F**. — Hic ollam depono: hic erit meta quinque meorum passuum intervallo.

**C**. — Ita quinque passuum.

**F**. — Nunc sortiamur vices. En ego metae proximus.

**D**. — Ego te propior.

**S**. — Ego te.

**C**. — Ego omnibus.

**F**. — Est igitur princeps Crispulus, alter Silvanus, tertius Dionysius, postremus ego.

**C**. — Proh! aberravi.

**S**. — Ansam tetigi.

**D**. — Meam inieci.

**F**. — Et ego meam. Lude, mi Crispule, et perde rursus iactum tuum.

**C**. — Iterum erravi.

**F**. — Divinabam hoc fore.

**S**. — Vidisti? Inieci meam.

**D**. — Heu! infanstu fui hoc iactu.

**F**. — Ecce duas nuces intus iam habeo; spero victoriam.

**C**. — En tertia intus est; sed quid hoc prodest?

**S**. — Iterum intravi. Nisi tu, Flavi, tertiam inieceris, erimus pares, ac praeter alios quartum aut quintum iam iaciemus, donec penes alterum Victoria fuerit. Mitte nucem, Dionysi.

**D**. — Possum ego, favente fortuna, secundam iniicere, et aberrare Flavius ab hac ultima petitione sua; tum ego utrique vestrum ero par, et palma nullius.

**F**. — Si potes... Oho! oho! errasti. Tertia, tercia est intus; omnes nuces meae sunt. Octo depositae initio, iniectae a me tres, a Crispulo una, a Silvano duae, a Dionysio una: quindecim nuces, e quibus quinque meae, decem vestrae. Praemium igitur decem nuces. Io triumph! Domi sciurum alo, cui hodie coenam dabo largissimam. Hem istuc mihi certum erat.

## ACTA PONTIFICIA

## MOTU PROPRIO

de examinibus pro regulari clero ad Sacros Ordines promovendo in Italia et in insulis Italiae dictioni subiectis.

## PIVS PP. X.

**R**ELIGIOSORUM Ordinum familias, utpote quae praeclaro semper et adiumento et ornamento fuerint Ecclesiae, peculiari quadam Nos providentia studioque prosequimur; in primisque dandam operam arbitramur, ut constanter pergent, pro necessitatibus temporum, salutares esse ac frugiferae. Hanc ob causam, quoniam

ipsae, praetutum, etiam est, Nos et aliquid in ramus quicunque et nibus praestri fel. rebris M DCC professi t. » rum sim. » sacros O. » ter alia. » exhibeant. » theologia. » diaconatu. » conatu. » triennium. » rum studi. nes huius. omnes fructu. ad sacros O. deberent, se profecisse. I dentina Sync de Reform. » ordinando. » diligenter autem de I. » Regulares » mine ord. » quoad ho. igitur appa legem revoc idque Nos Urbe, quum decrevimus, de regulari essent, omni riculum fac Nostri (1).

Nunc ver ratorum Sac Regularium has litteras proprio, vol in insulis Ita nes, vel ad ad votorum sacros Ordin scopo loci, sint idonei: fectum, quo specialissimataque qu etiam center rum quoque ratione ins hique vero C Urbe Motu non solum in dum pertinet dogmatica Contrariis n. Datum Ro anno millesi catus Nostris

(1) Cf. Vox

ipsae, praeterquam sanctorum exercitatione virtutum, etiam doctrinae laude florent necesse est, Nos e re esse haud ita pridem duximus, aliquid in hoc genere statuere. Etenim, novaramus quidem Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositam, auctoritate decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII, die IV mens. Novembris M DCCC XCII, prudentissime praescripsisse, ut « professi tum votorum solemnium, tum votorum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum saltem per triennium, praemiso tamen regulari aliorum studiorum curriculo ». Sed praescriptio huiusmodi non aliter videbantur suos omnes fructus afferre posse, quam si candidati ad sacros Ordines legitimo experimento probare deberent, se in constitutis doctrinae studiis satis profecisse. Id quod ceteroquin sacrosancta Tridentina Synodus iusserat; nam Sess. XXIII Cap. VII de Reform. haec habet generatim: « Episcopus ordinandorum omnium mores et doctrinam diligenter investiget et examinet »; nominatim autem de Regularibus eiusd. Sess. Cap. XII: « Regulares non sine diligentie Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusi ». Opportunum igitur apparebat esse, hanc Tridentini Concilii legem revocari, quae diuturnitate obsolevisset: idque Nos anno superiore praestitimus pro Urbe, quum die XVI mensis Iulii Motu proprio decrevimus, ut quicunque sive de saeculari sive de regulari clero ad sacros Ordines promovendi essent, omnes, excepto nemine, doctrinae periculum facherent in Curia Cardinalis Vicarii Nostri (1).

Nunc vero placet, etiam ex consulo Moderatorum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium memoratum Nostrum decretum per has litteras extendere. Quare Nos, Motu item proprio, volumus ac iubemus, ut in Italia et in insulis Italiae ditioni subiectis, Religiosi omnes, vel ad Instituta votorum simplicium, vel ad votorum solemnium pertinentes, ne ante ad sacros Ordines promoveantur, quam ab Episcopo loci, diligentie doctrinae examine probati sint idonei: sublato, ad hunc tantummodo effectum, quo cumque contrario privilegio, etiam specialissima et individua mentione digno, abrogataque quacumque contraria consuetudine, etiam centenaria et immemoriali, quam in futurum quoque induci prohibemus. Id examen qua ratione instituendum sit, Episcopi definient: hique vero curabunt, quemadmodum Nos eo pro Urbe Motu proprio constituimus, ut candidati non solum in iis rebus, quae ad Ordinem adeundum pertinent, sed in aliis quoque de theologia dogmatica tractationibus periculum faciant. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX Martii anno millesimo noningentesimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

(1) Cfr. Vox Urbis, an. VIII, n. x.

## DIARIUM VATICANUM.

(Die XXI mens. Iunii. - d. XXI mens. Julii M DCCC VI).

### Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites, aliosque viros, qui sui cuiusque munieris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Galeazzus Thun de Hoenstein, Comes, Hierosolymitani Melitensis Ordinis Magister Maximus; Amedeus De Biè, Ordinis Cisterciensis Communis Observantiae Abas Generalis; Raimundus Paravicini atque Hermannus Cullen Ayersa doctores, iam Argentinæ legationi apud Apostolicam Sedem addicti; Apostolica legatio ex Hispania redux, quo missa fuerat ut regiis nuptiis Madriti adsisteret; Stephanus Ehses, Protonotarius Apostolicus, historici Germanici instituti, a Görer-Gesellschaft nuncupati, moderator; Alexius M<sup>a</sup> Lépicier, Procurator Generalis Ordinis Servorum B. M. V.; De Leininghen Comes; Elias Coury-Seedid, Maronitarum collegi rector; Nicolaus Szécsen de Temerin, Comes, legatus extraordinarius cum omni potestate Austrorum atque Hungarorum apud Apostolicam Sedem, coram adducens Maximilianum Hadik, Comitem, a consiliis legationis recens electum; Fridericus Linneborn, Procurator Generalis Congr<sup>s</sup> Sacerdotum e SSma Cruce; Eugenius Meyer, Rector Generalis Missionariorum e SS. Corde Iesu; Ianuarius Granito di Belmonte, archiepiscopus Edessen, Nuntius Apostolicus apud Austros et Hungaros; Urbita senator, iam Chilensis Reipublicae praeses.

### Pontificiae electiones.

Rm<sup>us</sup> vir Andreas Scotton in collegium Protonotariorum Apostolicorum ad instar participantium, et Antonius M. Bernasconi, Canonicus Poenitentiarius Sabinen. inter Antistites domus pontif. adscuntur.

— Episcopi eliguntur in Gallia: pro dioecesi Adiacen. rm<sup>us</sup> v. Ioannes Baptista De Santi, illius Ecclesiae Cathedralis canonicus; pro dioec. Augustodunen. Raimundus Villard parochus e dioecesi Ligonon.; pro dioec. Bellicen. Thomas Paulus Lemonnier, Vicarius generalis Rothomagen.; pro dioec. Bellicen. Franciscus Augustus Labeuche, Vicarius generalis Bisuntin.; pro dioec. Dinien. Dominicus Castellan, Vicarius generalis Massiliensis; pro dioec. Cadurcen. Onesimus Laurans, parochus e dioecesi Mimatene.; pro dioec. Briocen. Iulius Laurentius Morelle, ipsius dioecesis Vicarius capitularis; pro dioecesi S. Flori Paulus Augustus Leceour, Canonicus honorarius Rothomagen.

— Episcopi eliguntur in Italia: pro dioec. Camalen. Hannibal Lupi, parochus Ferrarien.; pro dioec. Patarina Aloisius Pelizzo, rector Seminarii Utinen.

— Excmi viri Ioannes Baptista Ricci e dioec. Aesin. ad Anconitan. et Human.; Carolus Castelli e dioec. Bobien. ad Firman.; Iosephus Gamba e dioec. Bugellen. ad Novarien. transferuntur.

— Vincentius Bacchi, Provicarius Generalis Bononiensis. episcopus Mindius creatur.

### Vita functi viri clariores.

Tokii in urbe illius dioecesis archiepiscopus Petrus Maria Osoouf e Congregatione Parisiensi ad exterritorum sacras Missiones, annos natus septuaginta et septem.

### Varia.

Die XXVIII mens. Iunii Pontifex in Vaticanam basilicam privatus sub vesperum descendit S. Petri sepulchrum veneraturus.

In festo Principis Apostolorum numisma euditur ob memoriam an. IIII Pontificatus Pii X P. M. Ex uno latere praebet effigiem SS.; ex altero Iesum turbas docentem cum hisce inscriptionibus: CATECHESIS.

TRADITIO · LEGIBUS · FIRMATA — SEDENS DOCEBAT · DE · NAVICULA · TVRBAS. (LVC. V, 3).

— d. XI mens. Iulii in aedibus Vaticanis SS. Rituum Congregatio praeparatoria habetur ad disceptandum de virtutibus « in gradu heroico » V. S. D. Ioannis Nepomuceni De Tschiderer, Principis atque Episcopi Tridentini.

— d. XX in Xystino sacello, adstante Pontifice, iuxta funebria Leoni PP. XIII persolvuntur, die anniversaria ab eius obitu recurrente.

## ANNALES.

### Russicae res.

Res, quae in Russico Imperio in dies supervenientiae sunt, ut anticipem omnium gentium animum in se convertant. Publicus enim ille coetus, *Duma* appellatus, a Nicolao Caesare ea mente concessus, ut populus et gubernium ad opportunas leges componendas amice conspirarent, talem contra se praebuit, quasi rebellionis signum exstaret, unde rerum status funditus everteretur. Itaque in administros, quivis ipsi fuerint extra *Dumam* electi, odium et alienus animus legatorum indesinenter, et repugnantia, et contradictiones tum etiam quum rogationes legis offerrentur, quae menti legatorum ipsorum inessent, uti de re agraria, qua quidem lege fundorum proprietas agricolis extendebatur. Praeterea ad seditiones, tumultus, ab opere ex condicio desertiones incitamenta, quod culpae deinde gubernio *Duma* vertebar, veluti si qui presunt ex his utilitatem quandam capere possent, atque inter se vicissim necesse illas pararent, unde eorum nonnulli sicariorum ferro, aut ballistula, aut incendiariis pilis petiti, vulnera et mortem ipsam reportarunt. Neque valuit Caesarem legem unicam a *Duma* latam et ab Imperii concilio approbatam sanxisse ut regionibus subveniretur frumenti caritate oppressis; eo enim perventum est, ut edicto coetus ad populum appellaret, quo prefecto tunica Russorum plebs, — multa ehu! nimis apud illum populum, — ad rebellionem sollicitaretur. Quid igitur reliquum? Caesar, nova ab ipsa constitutione sibi data facultate usus, *Dumam* dimisit comitiaque ad mensem Martium proximi anni indixit, ut legati novi elegantur, quos omnes tales futuros sperant, ut civitatis boni vere solliciti, acri iudicio sapientique consilio praediti, sese et populum recto libertatis regimine dignos praebant, a quo, ut verum, sine verborum ambagibus, praedicetur, longe nunc abesse monstrarunt. Quot vero sanguinis fluvii ante dies illos delabentur?...



### Bellici rumores.

Non tamen ex Russia tantum classica insinuere; inferioris enim Americae reipublicae iterum ad arma concurrerunt: in Brasilia rebellio exorta est inter provinciae a « Mato Grosso » nuncupatae incolas, qui, urbe capite potiti, illius status praesidem interfecerunt. Gravius porro certamen inter Guatemale et Sancti Salvatoris civitates, atque deinde Honduras, post violatos a Guatemale exercitu huius republicae fines, exortum est, quod ta-

men a Civitarum Foederatarum Septemtrionalis Americae praeside iri compositum, fausto omne, dictitant: profecto induciae, dum scribimus, armorum vim represserunt.

**Pontificis arbitratus inter Columbianam et Peruvianam civitatem.**

Ceterum quanti ad populorum commodum faciendum sit aequi arbitri iudicium, recens ostenderunt Columbianam et Peruviana civitas, inter quas gravis dissensio surrexerat ob regionis Putamajo controversam possessionem. Iam acies pro castris erant, quum praesides in optimum id consilium venerunt Summi Pontificis, tamquam arbitri, iudicio qnaestiones omnes de re deferendi; quod quum Pontifex libenter accepisset mentemque suam aperuisse set de pacifica litis definitione, id ante sententiam pronuntiandam cavendum esse declaravit, ut milites utrinque simul retraherentur; quod reapse statim factum est, ac deinceps paepe ditum, quominus manu configeretur.

O utinam ne actionem hanc pacifici unius in orbe regis oblivione conterant reges illi, qui ad agendum de pace proximo anno Hagam legatos suos iterum mittent!

**PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS.**

In Anglia leges latae de exterorum matrimoniis deque puerorum institutione, atque rationes accepti et expensi pro India propositae.

In Austria iisdem rationibus pro universae civitatis regimine aliisque legibus oeconomicis adprobatis, coetus sessiones intermissae.

In Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis lata lex de exteris civibus in nordicam Americam migrantibus eaque liberalior, pro iis praeципue qui religiosis politicasque causis Americam petunt.

In Gallia senatus de requie a labore semel per hebdomas ab operariis servanda legem adscivit.

In Hispania administratorum collegium cui Moret praeerat quum munere se abdicasset, aliud suffectum, praeside Lopez Dominguez, ex populari, sive democratica, prouti nuncupant, parte.

In Italia fructibus ex pecunia publice collocata lege imminutis data simul enique facultate summam suam integre redimendi; ferriviis omnibus pro civitate repensis, aliisque legibus in civium commodum latis, eorum prae tertim qui publicis calamitatibus opprimuntur, coetus sessiones ad Novembrem mensem dilatae.

In Serbia nova comitia favorabilia prorsus gubernio cesserunt.

**PER ORBEM.**

Die xxii mens. Iunii M DCCC VI, Trondjem in urbe Haakon Danorum princeps eiusque uxor Norvegorum reges solemni ritu coronantur.

— Monteregali, in urbe Canadensi, igne delentur templum cathedralē catholicorum, eiusque proximae aedes.

— die xxiii Madriti diem obit supremum Ioannes Emanuel Sánchez y Gutiérrez de Castro, dux de Almodóvar del Rio, Hispaniarum rerum ad exteris administer, qui Algeciranō coetui de Mauritanis rebus laudabili quidem consilio praefuit.

— die xxvi Valliam, Angliae regionem, terrae motus late quatit, hominum tamen vitae parcens.

Die i mensis Iulii ad Salisbury Anglicam stationem currus vapore acti, per ferreos axes velociter discurrentes, tramitibus quum exiverint, franguntur, caedes et vulnera viatoribus procurant atque incendium excitant terrorem horribilium fatorum adaugens.

— die iii Hamburgo templum S. Michaelis flammis voratur: homines quatuor vitam misere inter ruinas amittunt.

— die v nuncium vulgatur Aprutiorum ducem e Sabaudica gente Ruvenzori iuga superasse.

— die vi aeremotus Cuneensem Italiam regionem pessumdat, depopulationem, mortem, luctus huc illuc spargens.

— die xi aeremotus pariter Apuliam vastat. Sebastopoli, Tschouknine, navalis Russorum praetoris vita nefarie petitur: classis ille dux sequenti die moritur.

Hispali, civilis gubernatoris aedes, archivum domusque proximas incendium destruit.

— die xii Dreyfus, Galici exercitus centrio, aliquot iam annos proditionis crimen accusatus, reus factus, in carcere detrusus, deinde liberatus, a supremo indiciorum magistratu absolvitur. Ita finis imponitur civili discordiae, quae inde Gallorum animos iam diu conturbavit.

— die xv Nijni Nowgorod in urbe Russorum, ubi nunc annuae celeberrimae nundinae habentur, ad commercii forum aedes repente inciduntur. Harum trecentas circiter flammarum vis diruit, horrea absunit; neque templis Armenorum et Russorum prope exstantibus parcit.

**AENIGMATA.**

I.

Iustitiae vindicta auratas incolit aedes  
Et Tyrias vestes pulchrae serta gerit.  
Litera sufficitur? Liquidi sitibunda crux  
Tela gerit, telis tintile virus inest.

II.

Urget luciferas caeli per inane quadrigas;  
Mox ruit, et niveos flumine tingit equos.  
Mutas literulam? Salienti gurgite nata,  
In tenui vitro lucida mica nitet.

I. B. PESANTI.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

FABULAE SELECTAE  
IOANNIS LA FONTAINE  
LATINE CONVERSÆ  
A FRANCISCO XAVERIO REUSS C. SS. R.

Aenigmata an. IX. n. V proposita his respondent;

1) Eo - Leo; 2) Bes - Pes.

En rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — Ant. Tafani, Florentia. — Angelus M. Stoppiglin, Nervio. — F. Arnori, Mediolano. — Senior Astensis. — Alois. Frydek, Regina Gradecit Bohemorum. — Guillelmus Schenz, Ratisbona. — L. Ortiz, Morella. — Lad. Lind. Podobinski, Bochnia. — Renk par., Davenport. — Don. Macrae, Edderton. — Cal. Amalberti, Albio Intemello. — T. T. Chave, S. Boise Idaho. — Rich. Brondel, Brugis. — Arn. Rudzianski, Tiffissia Cartalnorum. — G. Müller, Herolino. — And. Papay, Pruzsina. — Georg. Nemeth, Vasnadasd. — Am. Robert, Marietta in Canada. — L. Walter, Neo-Eboraco. — V. Bonaiuti, Roma. — Alex. P. Gest, Trentonio. — Arn. Blekman, Haga. — Ben. Paladino, Colle Salvetti. — F. Guerra, Atletto. — Collegium Scholarum Piaram, Stella. — Ern. Fré, Vercellis. — Alois. Cappelli, Senis.

Sortitus est praemium:

L. ORTIZ,

ad quem missa est J. B. FRANCESIA comoedia latinis versibus scripta, cui titulus:

SATURIO.

**PISTOLARUM COMMERCII.**

JACOBO BATILLO. Aug. Taurin. — Fasciculus hic iam in promptu erat, quum carmen tuum pervenit. Ceterum « palaestra » soluta oratione scriptoribus praesertim accommodata est.

HERMIAE SOC.... — Faveas aperire nomen et domicilium tuum, itemque ubinam ludis litterarum vacas, doctori Iosepho Fornari, in Commentario nostro redigendo primas agenti (Romae - Via del Governo vecchio, 96), qui de palaestra, tamquam suae rei unice satagit.

**LIBRORUM RECENSIO.**

Confutatio Lutheranismi Danici an MDXXX conscripta a Nicolao Stagefyre seu Herborneo O. F. M. nunc primum edita a LODOVICO SCHMITT S. I. (Brozzi-Quaracchi ad Florentiam ven. lib. 3 apud Collegium S. Bonaventurae).

Inter diversa opera a Nicolao Ferber Herbornensi O. F. M., Fidei Catholicae suo tempore notissimo vindici, sine dubio Confutatio haec Lutheranismi eminent, de cuius indole bene adnotat cl. editor in sua praefatione: « Est opus sui generis unicum. Est enim haec confutatio non solum *Apologia latina* prorsus unica, quae in Dania contra id temporis novatores scripta sit, sed etiam, ut Chr. Thorn. Engelstoft iure merito dicit, opus omnium maximum et optimum a Catholicis conscriptum. Quod quidem obiter insipienti tibi forsitan ad solum Daniae regnum pertinere videbitur; — illustrat enim et solvit argumenta et obiectiones eorum, qui fidem et religionem in Dania a sancto Ansgario usque in annum 1530 regnante labefactare et eradicare conabantur: — at, quod res est, non restringitur hoc ambitu, immo finem prosequitur universalem, defendendi sc. astren- dique, idque armis ex sacra scriptura potissimum de- promptis, totam Ecclesiae catholicae doctrinam. Quam vero luculenter et solide hoc praestiterit auctor, in decursu totius operis experieris. Lege e. g. tractatum de nomine et vi Evangelii (pp. 44-76), quo nescio, an quid clarius praestantiusve alibi reperturus sis. Iisdem virtutibus gaudent tractatus de Ecclesia (pp. 88-98), de fide (p. 106 sq.), de operibus (p. 115 sq.), de Eucharistia (p. 162 sq. et p. 204 sq.), de sacerdotio (p. 169 sq.), et alii fere omnes ». Causa est igitur ut egregium hoc opus omnibus religionis studiosis enixe commendetur.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis, Phil. Cuggiani.

# ZENO — Tragoedia IOSEPHI SIMONIS Angli.

(7)

(Passim retractavit hodiernisque scenis aptavit I. F.)

ANAST.	Differ ad tempus preces; Effare paucis.	Non retrahendus? Vita, mors, brevibus iacent Diducta spatiis. Propera si vitam secet Clotho, ruinam mentis aeternam subis. Nemo scelestus pariter et felix diu
GAZ.	Fasne Longinum alloqui?	Fuit. Innocentum clamat effusus crux, Clamat gemendus pubis orbatae status; Viduae maritis coniuges, vastae domus Clamat, et alti fulmen ulti vocant.
ANAST.	Dabo intuendas cladis iniustae notas.	Quam multa sint tremenda, nisi caveas, vide. Agnosco linguae flumen an fulmen tuae?
GAZ.	O mentis altae pulchra libertas! Dabis?	Rotundus ore, fulguras, pluia, tonas, Mones amice. Paria verbosae decet
ANAST.	Quicumque factum casus excipiet, dabo.	Artis referre pretia. Fer Bacchum, Puer (1), Bacchum rubentem, nobilem. Effando nimis Accedit ora rhetor; ambrosiam bibet.
GAZ.	O perge; vinces. Specimen hinc capiet sui;	Affer sedile, miles (2). Hic artus loca.
ANAST.	Et ecce, vacuo solus in tecto sedet.	Miscere odoram nectari ambrosiam placet (3).
GAZ.	Aggregere solum: spondet eventum locus.	Age pateram; hauri...
(1) Qualem sed agno spondet eventum lupus.		Ignosce!
GAZ.	Gemisce pubes, questibus caelum reple.	Per caelum bibes!
CHORUS	PUER. Miserere, Princeps!	Venenum in auro bibitur...
GAZ.	Altius clamor sonet.	At mixtum mero.
CHOR.	Miserere, Princeps!	Age et profundo praebibe salutem Iovi.
LONG.	Monstra Tartarei lacus? (2)	Ergo bibendum est? Plectis insontem nece.
CHOR.	Hiatne mundus? Claustra laxantur Stygis?	Plecto loquacem. Disce Caesaribus probra
LONG.	Quid iste poscit furvus umbrarum chorus?	Ingerere fando. Sistis? Exhauri ocius!
CHOR.	Me petitis? Orci fata properantur nimis;	Testor cruento poculum explebis tuo;
LONG.	Ultrice nondum cecidit extinctus manu	Bibes adactus sanguinem!
CHOR.	Pelagius... Ite; noctis aeternae domos	O regum fidem!
LONG.	Remeate, Furiae... Statis?... Horribilis furor... (3).	Esto, natantem calice fatali necem.
CHOR.	Miserere, Princeps!	Bibamus; hac me diva libertas vocat.
LONG.	Ecce cerborei gemunt.	At tu tonantis osor, aeternis caput
CHOR.	Catuli. Facessite monstra!...	Sacrum tenebris, perge, sanguineo fibras
LONG.	Nil monstris opus,	Imbue cruento; merge flagitiis caput;
CHOR.	Longine Caesar: cernis orbatum patre	Macta innocentes. Spectat ex alto Deus,
LONG.	Rerumque egentem prolis innocuae gregem!	Spectat, manuque fulmen ultrici vibrat.
CHOR.	Miserere, Princeps.	Mox horrido sub Dite sulphureas bibes
LONG.	Premite feralem sonum.	Sine fine flamas...
CHOR.	Unde iste pueris squalor?	Cerbere, hauris ocius?
LONG.	Occumbunt patres.	Habes (4). Peractum est. Vade. Rhadamanti foro
CHOR.	Ferro perempti?	Causas perora melius. In caecas age
LONG.	Fune, medicato mero;	Victum latebras, donec eputus iecur
CHOR.	Non unus omnes mersit exitii modus.	Irrumpat alte Bacchus, et vitam eruat.
LONG.	Luste ne?	Iussimus! In arcto carcere expiret reus! (5)
CHOR.	Inique.	SCENA III.
LONG.	Quem scelus damnat reum?	LONGINUS, ZENO.
CHOR.	Quem lux superbae sortis et vitae gradus	Hanc oris illaudata libertas vicem,
LONG.	Tectum tuetur.	Haec pretia, qui me voce sollicitant, ferunt.
CHOR.	Stet licet clypeo Iovis	O spem caducam! Sceptra sperabam miser
LONG.	Munitus, aequas pendit exitio vices.	Aurique diva luce radiatum caput....
CHOR.	Ignosce, Princeps; voce damnaris tua,	En quo revolvor? Ausus hoc, ausus nefas
LONG.	Reus cruentae caedis.	Pelagius (6).
CHOR.	Ego caedis reus,	(Ad proximum numerum).
LONG.	Sophista vecors? Foeda mentiris. Deos	(1) Ingreditur miles vocatus.
CHOR.	Iuro per omnes, repetet artificem dolus.	(2) Miles afferat vinum et sedile.
LONG.	Assiste, miles, stringe sceleratas manus.	(3) Venenum iniicit et sica miscet.
CHOR.	Miserere, Princeps.	(4) Haurire cogit Gazaem.
LONG.	Carpite ocius fugam	(5) Haec postrema verba dicit militi, qui secum trahit Gazaem.
CHOR.	Spuria propago (4), genere vipereo sati.	(6) Prodit Zeno.
LONG.	Abite monstra!...	
CHOR.	Vindica opprobrium Deus! (5)	
GAZ.	Longine, menti pone furiosae modum;	
CHOR.	Frena dolorem; dumque regressum Deus	
LONG.	In melius offert, pectus in melius refer.	
CHOR.	Quid mole scelerum pressus in barathrum ruis	

(1) Ad spectatores conversus.

(2) Longinus repentina timore experrectus territusque lugubri  
veste nigrisque lugentium puerorum cucullis, umbras credit.

(3) Irruens in pueros, eorum lugubri clamore absterretur.

(4) Pede abiicit.

(5) Egrediuntur.

(1) Ingreditur miles vocatus.

(2) Miles afferat vinum et sedile.

(3) Venenum iniicit et sica miscet.

(4) Haurire cogit Gazaem.

(5) Haec postrema verba dicit militi, qui secum trahit Gazaem.

(6) Prodit Zeno.

## SUPELLEX AD RES DIVINAS.

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBIS administratorem (Romam, via Alessandrina, 87) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

## SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus quod de negotiis Ecclesiasticis esset; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae « Congagationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

## SATURIO,

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro Joanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Commentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

☞ IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO. ☞